

metuendum, una cum temporali aeternam.

IV. Contumacia seu inobedientia. Nam uti filio obedienti promittitur vitæ longæ ætas (Exod. XX.) ita vicissim eam non merentur inobedientes et filii refractarii. Quid enim ab eo speres boni, qui correctionem non admittit? Si vinum in summitate dolii, effluit turbidum, quid fiet in fundo? Si viride lignum inflecti se non patitur, quid fiet in arido? Certe in eos quadrat, quod Prov. XXVII. dicitur: *Si contuderis stultum in pila quasi pitisanas feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia ejus.* Superest igitur, ut e medio tollatur. Sic enim Deut. XXI. dicitur: *Si genuerit homo filium contumacem et protervum, qui non audierit patris ac matris imperium et coercitus obedire contempserit, apprehendent eum, et ducent eum ad seniores civitatis illius et ad portam iudicii, dicentque ad eos: Filius noster iste protervus et contumax est, monita nostra audire contemnit, etc. lapidibus eum obruet populus civitatis et morietur, ut auferatis malum de medio vestri.* Quod si hoc jam non fit a populo, fit tamen sæpe a Deo modis aliis, v. g. ut in bello occumbant, peste tollantur, etc. Ita punita inobedientia Absalonis, II. Reg. XVIII. præceperat serio suis David: *Servate mihi puerum Absalon, et tamen in necem effugere non potuit, sed in quercu pendulus hæsit, ab ea interceptus et suspensus inter cælum et terram, ut indicaretur filium inobedientem et contumacem, nec terra nec cælo dignum esse, tandemque cumulus lapidum super eum congestus, ut legi illi Deut. XXI. satisfaceret.*

Quinetiam tales legimus corripi quandoque a dæmone. Cujus rei exemplum refert Alexander ab Alexandr. I. II. Gen. dier. c. XIX. « Cum apud Gabios quidam infimæ sortis et obscuris natalibus adolescens furiosus corruptorum morum et facinorosæ vitæ parentem objugasset, conviciisque præscidisset, iis agitatus furiis dæmonem invocat, cui se devoverat, Romamque meditat, ut gravius aliquot flagitium in patrem moliretur. In itinere dæmonem facie hominis truculenta, sordida barba et capillo, vesteque absoleta et squalida obviam habuit: qui comitatus, tristitiæ et anxietatis causam ex juvene perconctatur. Hic, sibi quid altercationis fuisse cum patre, et scelus aliquod in animo constituisse respondit. Cui dæmon sibi eandem obvenisse sortem ait, pergendumque ut suas simul ulciscantur injurias. Cumque nocte appetente ad urbem pervenissent, in proximo diverterunt hospitio, unaque incubuerunt. Juvenis vero somno oppressi jugulo manus injicit pestilens ille comes, quod jam infregisset, nisi ille expergefactus Deo supplicasset. Unde furiam illam teterrimam

tanta vi, stridore et impetu cubiculum dicitur exeundo collisisse, ut tigna et tectum diruerit, tegulasque penitus periregerit. Hoc spectaculo perterritum et fere mortuum adolescentem vitiositatis et anteactæ vitæ poenituit, qui alio afflatus spiritu, perosus scelera, boni exempli vitam procul a populari tumultu egit. »

V. Prava societas; quæ quam noxia sit, discere a sturno ave possumus, (ut refert Neander, apud Maiol. in postcanicularib. coll. I.) Cieur enim factus didicerat eloqui verba illa: Cave tibi a prava societate, quæ multoties iterabat in dies. Accidit eum e cavea avolare et ad sui similes sturnos devenire. Cum quibus dum volitaret, una cum illis in substructam aucupis aream devolat. Reti igitur conclusi miseri, dum ab aucupe alter post alterum necatur, sturnus ille quondam domesticus rem advertere et suum repetere cantum incipit: Cave tibi a pravis sociis. Quo audito vitam aucups ei donavit. Itaque sturnus iste bene quidem monuit vitandam societatem malam et quamdiu id fecit, salvus fuit. At ubi contra monitum suum se tali societati junxit, pene vitam perdidit. Simile huic est, quod habetur, III. Reg. ult. ubi Achab impius rex Israel persuasit Josaphato regi Juda pio alioqui, ut secum ad bellum procederet contra Syros. Persuasus miser Josaphat, cingitur mox ab hostibus putantibus ipsum esse Achab, jamjam necandus. Exclamavit igitur Josaphat, in periculo contristatus, et se Josaphatum, non Achabum esse prodidit, vel, ut alii volunt, Dei opem imploravit. Quo agnito destiterunt ab eo Syri, quia in mandatis habebant, ut neminem percuterent nisi solum Achab. Et sic ipse evasit. Paulo post ut eodem cap. habetur, cum Ochozias filius Achabi et ipse societatem cum Josaphat inire vellet, ut simul mitterent naves in Ophir, noluit jam Josaphat, quia piscator ictus sapuit. Capite hoc juvenes. Quam multi sana et integra pelle somnum domi capere possent quieti, qui cum sociis vagantes noctu in plateis et digladiantes vulnerantur ac sæpe tam periculose, ut cum hodierno juvene in tergo ad ecclesiam ire debeant

Ingenui adolescentes fugiant pravo socios, quod facere legimus elephantem, qui conspecto capto statim fugit, Pierio teste, l. II. Quamprimum ergo fetorem pravi alicujus socii subolfacis, si sapis et sentis, fuge. Pii etiam parentes avocent suos liberos ab hujusmodi societatibus: quemadmodum vitis surculos suos abstrahit a raphanis, brassicis etsimilibus amaritiam continentibus plantis.

VI. Otium, quod ipsummet, teste Seneca, epist

LXXXIII. est vivi hominis sepulcrum. Sane ex Luc. cap. XIII. scimus ficum infructuosam, quæ triennio nullum tulerat fructum jussam fuisse succidi, quod terram frustra occuparet. Quæ res indicat ægre tolerare in mundo et Ecclesia Christi præsertim eos, qui otiose degunt. Nec mirum, quia et apes expellunt atque occidunt fucos, qui alvearia tantum implent nec mel conficiunt. S. Franciscus quoque ignavum quemdam fratrem expulit e suo cœtu, vocans eum fratrem *muscam*, quod comederet solum fratrum eleemosynas, non laboraret, apud D. Bonavent. cap. V. in ejus vita. Idem fecit otiosis Draco rex Bithyniæ, qui otiosos capite plexit, auct. Alexandro ab Alexad. lib. III. c. XIII. Massilienses, qui eos e finibus suis exigebant, Valer. Maxim. leg. II. Jure igitur Deus exterminat etiam ignavos, nec vivere diu sinit. Hujus farinae fuit Carolus quidam rex Francorum, qui otio contabuit et prope fato functus vacuum filio regiam reliquit, Riccius Neapol. leg. I. reg. Franciæ: et Domitianus imperator qui certum sibi horarium sumere solitus erat, quo muscas captaret et præcuto stylo configeret, ideoque ob inertiam et alia ejus vitia conspiratione facta obruncatus est anno ætatis quadraginta quinque nomenque ejus undique erasum et arcus dejecti, Macrobr. Satur. c. XII. Viderint ergo parentes quam in liberos suos crudeles sint, si eos domi suæ ignavia et otio destruant. Viva enim sepulcra alunt et immatura morte liberos extinguunt.

Hi sunt, auditores, sex quasi vespiliones, qui vivos adolescentes efferunt ac sepeliunt. Sapite igitur o juvenes utriusque sexus, et vespiliones istos fugite.

CONCIO IV.

CAUSÆ CUR TAM MULTI ANTE MATURAM ÆTATEM MORIANTUR.

I. Ob peccata parentum. — II. Ob parentum bonum. — III. Ob peccata filiorum. — IV. Ob ipsorum juvenum bonum. — V. Ob bonum aliorum.

THEMA.

Ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris suæ. Luc. VII.

Ostenderat aliquando Deus prophetæ Amos unicum in visione dicens: *Quid tu vides Amos?* Et ille: *Uncinum pomorum.* Et Dominus ad illum: *Venit finis super populum meum Israel: non adjiciam ultra ut pertranseam eum: et stridebunt cardines templi, in die illa, dicit Dominus, multi morientur, etc.* Quo loco ad litteram prædicit Israeli

captivitatem, in quam detractus eum erat. Mystice vero minatur mortem multis juvenibus immaturam, ut exponit ibi fr. Ribera, siquidem uncino pomorum decutiuntur poma etiam immatura, et quæ in cacumine arboris pendent, recondita item et latentia. Matura sponte decidunt, vel levi vento dejiciuntur, et quæ in imis ramis sunt, manu decerpuntur? Per quæ denotantur senes. Quod si nos similiter in hodiernum evangelium introspicere velimus; quid tu ibi vides, juvenis? Ego sane unicum pomorum video, quia: *Ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris suæ, quem unicus mortis nequaquam adhuc maturum, sed longe a senio distantem præpropere excussit.* Et ne forte mihi dicas quot una hirundo non faciat ver, introspecte evangelium totum, quot annorum erant illi, quos Christus excitavit? Nonne omnes juvenes? Tres illi memorantur. Duodennis filia Jairi, Luc. VIII. hodiernus adolescens, et Lazarus qui (ut ait Epiphanius, hæres. LXVI. Manich.) annorum erat triginta. Quod si necdum tibi sufficit, introspecte hunc mundum, nonne pauciores vivunt senes quam juvenes? Et unde hoc, nisi quia juvenes plerique ante senium moriuntur? Interroga senem aliquem, annon multo plures recenseat cœtaneos qui vita jam defuncti sunt, quam qui cum ipso supersint. Videbis arbori pomo simile esse genus humanum, quia flores multos habet, sed paucos valde fructus ad maturitatem perducit. Vel enim flores decidunt ut pueri et infantes: vel fructus immaturi vento dejiciuntur, uti adolescentes: vel a vermibus exeduntur, ut juvenes: vel uncino ante tempus decutiuntur, ut viri plerique: pauci valde sunt, qui ad senii maturitatem, ex qua ultro decidunt, perveniunt. Cujus rei non una causa est, quemadmodum audiemus.

I. Ob peccata parentum moriuntur sæpe filii in flore juventutis, quemadmodum ob adultarium Davidis mortuus est ei infans inde prognatus, II. Reg. XII. et paulo post alii quo ejus filii Amnon et Absalon, misere periire. Sic Aran mortuus est primus ante patrem suum Thare, naturali morte, ob patris idololatriam, ut testatur Epiphanius, Genes. XI. sic ob hæresim et pertinaciam Valentis imperatoris infirmatus est illius filius, qui accersito Basilio incipiebat convalescere, vocatis vero postea a Valente hæreticis ad visendum puerum, mortuus est: sic posteri Jeroboam omnes deleti, et filii septuaginta Achab simul omnes decollati ob peccata parentum. Fitque hoc justo Dei decreto, quæ cum decalogum promulgaret Deuter. V. ait: *Ego sum Deus amulator reddens iniquitatem patrum super*

filios in tertiam et quartam generationem. Quod quidem statuisse Deum, vult Tertullianus, l. II. contra Marcion. cap. XV. ob populi duritiam, ut sic legi divinæ obedirent amore, si non sui, saltem liberorum suorum. Tametsi vero hoc non semper Deus facit, jure tamen potest, quoad pœnam temporalem: sic liberum est magistratui punire reum capitis, sive in corpore proprio, sive in bonis ejus, exilio, infamia, cum omni domo sua. Et fere acerbius ferunt parentes mortem vel pœnam liberorum, quam propriam. Cum igitur aliis suppliciis non emendatur, isto feriuntur. Sic enim postquam Deus Ægyptios punivit morte primogenitorum tamquam gravissima et ultima plaga, postea dimiserunt Israel, Exod. XI. et XII. A multis parentibus nequit obtinere Deus ullis monitionibus et plagis, ut dent Deo quæ Dei sunt, dies festos, jejunia, decimas, vel ut certa peccata dimittant; ad extremum igitur ferit eorum liberos morte immatura, ut aliquando peccare desinant.

Speciatim vero ob parentum imprecationes. Solent enim illæ sæpenumero Deo ratificante, effectum habere, (juxta id Ecel. III. *Benedictio patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris eradicat fundamenta*); sicut etiam cum sibi ipsi quis malum imprecatur. Volenti enim non fit injuria: et liberi pars aliqua parentum sunt, unde jure merito Deus tales imprecationes ratas habet, juxta id Psal. CVIII. *Dilexit maledictionem et venit ei, noluit benedictionem et elongabitur ab eo*. Patet in Judæis, qui sibi et filiis suis imprecati: *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros*, Matth. XXVII. ideo etiamnum manent in exilio excæcati et obstinati. Ejusdem rei multa alia sunt exempla. Erant in Burgundiæ pago Vergiaco, episcopatus Eduensis, anno 1250. adolescentes duo, quorum unum mater cum in taberna deprehendisset, excandescens ei imprecatur: *Faxit Deus ut multis confossus vulneribus domum deporteris*. Alteri cum in parentem dextera percussisset, imprecatur pater: *Faxit Deus ut hæc tibi manus præcidatur, tuque intra tertium ab hinc diem ex vicino patibulo suspendaris*. Quorum utrumque contigit. Cum enim hi duo compotarent, exorta inter eos pugna, prior trucidatus est et multis confossus vulneribus domum deportatus: posterior dum insequentibus se licitoribus opponit, præcisa dextera qua gladium tenebat, raptus et ex eodem patibulo, quod pater nominarat, suspensus est. Quantum putas parentes istos de imprecationibus suis doluisse? Mater certe a lacrymis non cessabat, et a confessorio gravissimam sibi pœnitentiam injungi petiit. Refert Costerus, in conc. hujus dom. Si-

militer Caesarius, l. V. c. XII. scribit hominem quemdam iratum dixisse filio suo: *Vade ad diabolum, moxque filium a diabolo raptum nusquam comparuisse*. Et hæc quidem in pœnam temeritatis, et cautelam aliorum permisit Deus. Quæ notent illi parentes, quibus nihil communius, quam filios execrari et ad diabolum ablegare, uti et pesti devovere. Neque ob id se prorsus purgant, quod dicant obrepere sibi iram cæcam et repentinam. Nam neque excusantur apud judicem qui se dicunt iræ impetu aut lingue præcipitum fecisse calumniam aut homicidium. Et vix potest esse adeo cæca ira, quæ non advertat malam esse, propriis visceribus tanta imprecari mala.

II. Ob parentum bonum. Cum enim parentes nimis perditæ amant liberos, Deus quandoque orbat istos, ut amorem suum Deo impendant, quem liberis impendebant. Multis parentibus impedimenta salutis sunt liberi, quorum causa sæpe nimium divitiis inhiant, sacramentorum et templi frequentationem negligunt, alios opprimunt, vel oderunt, ipsos liberos suos destruant, etc. Quos proinde spoliat subinde liberis Deus, quemadmodum Davidem Amnone, quem ob amorem nimium, de commisso incestu noluit contristare per correptionem, II. Reg. XIII. idcirco Amnon paulo post ab Absalone fratre peremptus est. Facit illis hac in re Deus, quod Augustus Pollioni, apud quem cum aliquando cœnans animadvertisset servum Pollionis, quod crystallinum forte fregisset vitrum, ab hero ad murenas damnatum abripi, liberari servum jussit, et omnia Pollionis vasa crystallina virgula confregit, ut sic ansam ei raperet, in posterum adeo sæviendi et rem fragilem tam perditæ amandi, Fulgos. l. V. Similiter cum advertit Deus parentes ob nimium liberorum amorem, illicita perpetrare, usuras conquirere, proximos opprimere, liberos nimia indulgentia destruere, etc. frangit hæc eorum vasa ut occasionem adimat talia perpetrandi. In tali igitur casu, beneficii loco reponere deberent parentes, si liberis orbentur, vel non suscipiant liberos siquidem eis liberiforent lapis offensionis. Quod si id aliquibus nondum accidit, numquid non fieri adhuc potest? Et si id non fiat, tunc dimittit vel dat eis liberos ad eorum interitum, quo modo dixit, Os. XVI. Deus: *Dabo eis regem in furore meo*.

III. Ob peccata propria sæpe e medio tolluntur juvenes uti Her et Onan filii Judæ, quos ob peccatum mollitiæ percussit Dominus, Gen. XI. ubi de priore dicitur: *Fuit Her nequam in conspectu Domini et ab eo occisus est*: de posteriori vero: *Id-*

circo percussit eum Dominus, quod rem detestabilem faceret. Item propter impietatem, Nadab et Abin filii Aaron: rursus, propter inobedientiam Ophni et Phinees filii Heli. Quandoque ob incorrigibilitatem et obstinatam peccandi libidinem, sicut cum lusores in aliqua domo multam in noctem ludunt et acquiescere nolunt monenti patrisfamilias, tandem ipse lumen eis extinguit. Similes sunt aliqui juvenes tauro illi cornuobili in Æthiopia, qui teste Plinio, l. VIII. cap. XXI. feras omnes venatur, et cum tergora habeat dura instar silicis, omne vulnus respuit, nec aliter quam foveis capitur. Sic enim juvenes aliqui omne genus voluptatum consecantur, nullum est pratum quod non pertranseat luxuria eorum; interim nullis moventur monitionibus, minis aut flagellis: itaque foveis tantum sepulcri capi debent, et de medio scelerum cursu abripi. Quod si sterilis ficus, maledictione Domini arefacta est, Matth. XXI. quanto magis hoc timere debet juvenis, sceleribus assuetus atque addictus? Certe ut hodiernus juvenis, sic ipsi efferuntur ad sepulcrum; quorum portitores sunt, consuetudo peccandi, defensio peccati, certa malitia cum in odium corrigentis peccatur, seductio aliorum. Hæc quatuor causæ sunt, cur sæpe juvenes a Deo occidantur.

Accidit quod multoties ipsi sibi exitium parant et morti visum, quo capiuntur, præbent, dum inordinata sua vivendi ratione vitam sibi abrumpunt, ut speciali concione hujus dom. diximus intemperantia maxime. Quemadmodum enim Absalon nutriit sibi capillos, quibus postea irretitus et pendulus e quercu periit: sic et isti faciunt. Alunt alii scorta, alii ventrem, alii bilem, etc. propter hæc ipsa frequenter pereunt.

Denique, cum isti ob malam suam institutionem videntur pestes fore reipublicæ, sæpe antequam adolescant, a Deo extinguuntur. Cujus rei exemplum refert Suidas. « Zeno, inquit, Romanorum imperator filium suum, admodum adolescentem, imperii successorem relinquere cupiens, et dignitatibus ornabat, et corpus exercere jubebat, ad staturæ incrementum. At imperatoris proceres potestatem nacti fisci affatim exhauriendi, curabant, ut adolescens Sybaritico luxu corrumpere, et lenocinio suo, ad insanos eum amores æqualium incitabant. Itaque vitæ ratione ad superbiam et voluptatem comparata, ab omni honestate remotus, et jam tum arrogantiam ob expectationem imperii e vultu elucens præ se ferens, sublimis incedere, et erigere cervicem cepit, ac ut paucis dicam, erga omnes, non alium se præbere, quam adversus servos. Verum inspector omnium

rerum, et nativa et edocta ejus improbitate perspecta, ita, illum mulctavit, ut alvi profluvio, multos dies sine sensu, lectum inquinans, immatura ætate rebus humanis eximeretur. »

IV. Ob bonum juvenum ipsorum: et primo, ne si diutius vivant, pervertantur, juxta id Sapient. IV. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet sensum ejus*. Cum enim mundus, totus in maligno sit positus, infinitis laqueis plenus, semperque in deterius vergat, ideo Deus ætatem hominum diminuit, et multos e vita rapit priusquam depraventur: non secus ac vineæ cultor, qui advertens uvæ aliquas pendere ultra murum in viam publicam, eas tempestive decerpit antequam maturescant, et inde saltem condimentum aliquod facit, ne alioquin a prætereuntibus decerpantur, et ipsi prorsus eripiantur. Tales etiam sunt qui post baptismum in innocentia moriuntur, qui etsi non parem in cælo obtinebunt gloriam cum sanctis aliis, ut qui velut uvæ maturæ perstiterunt in tribulationibus hujus mundi et vice-runt, magnum tamen accipiunt beneficium, quod a gehenna erepti, saltem aliquem in cælo obtinent locum. Hujusmodi uvæ erant infantes ab Herode necati, quorum multi, si adolevisent, forte vel gentiles futuri, vel cum Judæis: *Crucifige, crucifige*, clamaturi erant.

Secundo, ne deteriorēs fiant aut concepta consilia mala in opus deducant, et gravius inde damnentur. Sic Psalm. LVIII. dicitur: *Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum sicut viventes, sic in ira absorbet eos*, S. Hieronymus legit: *Priusquam spinæ vestræ crescant in rhamnum*. Multi juvenes initio statim crudelitatem præ se ferunt, vel nimias astutias et fraudulentias, qui si adolescant, plurimum damni reip. allaturi dignoscuntur quo circa tales spinas antequam in rhamnum crescant, sæpe exterminat Deus per mortem sive naturalem, sive violentam et supplicia, etc. Exempla sunt plurima. Julianus apostata meditata Christianorum persecutionem, post reditum suum e Persia instituentem, illic divina ultione extinctus est: Valens imper. Arrianus Constantinopolim perdere volens, dum contra Gotthos pugnat, victus et vivus in tugurio combustus est; quam cladem cum ei Isaac monachus ad prælium eunti prædixisset: *Ego, dicebat, cum rediero, occidam te*, sed non rediit, Baron. anno 378. Anastasius Eutychianus imp. dum Justiniani, et aliorum nobilium catholicorum mortem machinatur, fulmine occiditur.

Non tamen idcirco blandiantur sibi juvenes flagitiosi, si diutius vivant, nec pœnam hanc

experti sint. Quid si enim crastina ferat dies, quod non tulit hodierna? Et licet senium attingant: quid si hoc ad majorem eorum condemnationem fiat? Annon legerunt il. Ps. LXXX. *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis?* Ibunt ergo illi vias proprias non divinas: sed ad præcipitium et inferitum suum.

V. Ob aliorum etiam bonum, et primo, sociorum seu complicem ejusdem peccati; qui ut a proposito absterreantur, sæpe unus illorum e medio abripitur: sicut cum ex avibus colludentibus, et quasi extra aleam constitutæ essent, concinentibus, accipiter unam rapit, reliquæ conficescunt, seque repente subter frondes abdundunt et subducunt. Dicunt illi interdum, quod ædificatores turris Babel: *Venite faciamus nobis civitatem et turrim, cujus culmen pertingat ad cælum, et celebremus nomen nostrum, etc.* Gen. XI. Sed huic: *Venite*, respondit aliud divinum: *Venite igitur, descendamus et confundamus ibi linguam eorum; quia cœperunt hoc facere, nec desistent a cogitationibus suis, donec eas opere compleant.* Sic enim Deus aliquando per unius aut plurium immaturam mortem aliorum cogitationes confundit ut a prava conspiratione desistant. Cujusmodi exempla plurima sunt et passim contingunt. Notum illud, quod anno 1596. Ingolstadii contigit. « Cum adolescens nobilis B. V. sodalis, in quorundam sodalium genio deditorum familiaritatem se immersit: hi ad cæteram lascivientis ætatis licentiam etiam illud addiderunt, ut ardentibus tædis aut sarmentis accensis tamquam Orestem furie modo hunc, modo illum ex suo numero ex improvviso adoriantur, flammis circumstiterent, corpus amburerent, ni prope cœnam expediret. Cumque multos furiosa illa alea in orbem percurrisset, die, qui purificatæ Virginis festum insequitur, hunc miserum nihil minus cogitantem ebriosa illa turba tædatorum de repente opprimit, homini flammam admovet, cœnam exigit. Paratur: expediuntur pocula, potatur in multam noctem. Postquam poculis indultum est satis onusti vino ad suos quisque lares revertuntur. Hic in suum se recipit cubiculum, et ut quieti se daret, vestes detrahit ad linteum indusium, inde vino somnoque victus ut erat seminudus in mensam, quæ posita erat in cubiculo, dormitabundus se inclinat, innixus cubito. Interim misero alio somno oppresso ardens candela casu admota in linteum inflammat, idque pervadit totum non sentienti. Concepta flamma expergiscitur tandem semiustulatus: exclamat amens, horrendis vocibus familiam conciet. Cumque se flammis

exuere non posset, humi provolvit, si forte pressu corporis flammam opprimeret: nihil proficitur. Flamma jam valida magis sæviebat, accurrunt familiares, miserum adolescentem, quas frustra male vitarat ante cœnam, post cœnam flammis vident absumi, percussi pavore periculo tamen audaciam faciente, licet feram, aliquam tamen opem ferunt, pertinacesque flammam, qua possunt ratione, restringunt, consumpta sindone, cute corporis jam penitus ambusta. Et est quidem ille præsentis periculo ereptus, sed incendii vis jam ante visceribus insederat, ut nullis remediis coerceri potuerit, quominus assatæ cutis tabes intus serpens acerbissimo ipsius cum cruciatu etiam vitalia depasceret. Itaque octavo die eadem pene hora, qua in eandem calamitatem incidere, consumptus est. Qui tamen agnito reatu suo et justa punitione, magnis editis pietatis signis, spe bona obiit. » Ita ex Sebast. Bercario soc. Jesu refert p. Jo. Nyess. in alphab. diaboli. Eo facto cessarunt ustulatores illi.

Deinde, ad aliorum etiam quorumcumque juvenum cautelam et exemplum, ut in quacumque ætate mortis recordentur, ad eamque se quotidie præparare studeant. Nemo fere juvenum percillitur, cum senem morientem vident: at si adolescens aliquis potens vel dives virgo obierit, omnes turbantur ac stupent sibi que timere incipiunt. In primaria Germaniæ civitate duo sunt sibi proxima sepulera: senis unum, juvenis alterum. Utrumque commune illud Adami et posterorum ejus epitaphium habet: *Et mortuus est.* Verum senis tumulus assertive: *Et mortuus est:* juvenis vero interrogative: *Et mortuus est?* Voluit hoc discrimine indicare prudens scriptor, mirum non esse si senex ille, vitæ satur mortuus est; at vero juvenis iste, opibus, forma, viribus præstans nondum annos viginti natus, mortis tam securus, qui velut Parcas decepturus vixit, itane mortuus est? Hoc mirandum, hoc dolendum. Et hoc tametsi quotidianum est, a plurimis tamen non creditur. Refert Jer. Drex. in prodromo. Parum de morte cogitant juvenes, quia non putant se tam cito e mundo ejiciendos, qui non ita pridem eum ingressi sunt, et solum aspiciunt ad annos quos homo attingere possit. Inde mortis curam abjiciunt et fræna adolescentiæ laxant. Propterea frequenter eos vita spoliatur Deus, ne securitatem sibi polliceantur, ac de juventute blandiantur. Quæ res cum usu quotidiano doceatur, mirum est quod adhuc juvenibus demonstrari debeat, ut eam sibi persuadeant. Quando sacerdotes Bel cum uxoribus et liberis suis clam ingressi templum, relinquebant in pavimento

vestigia sua, dicebat Daniel regi: *Ecce pavimentum, adverte cujus vestigia sunt hæc.* Et dixit rex: *Video vestigia virorum et mulierum et infantium,* Dan. XIV. Quando igitur o juvenis, credere non vis tam cito mori juvenes ac senes, vade mecum ad templum et cœmeterium, et vide pavimentum: cujus vestigia sunt hæc? Quorum hæc et illa mausolæa? Nonne tot vides sepulera infantum, puerorum, juvenum ac senum, vel etiam multo plura? Cogita ergo, o adolescens, tibi loqui mortem, quod Ezechiæ nuntiavit rex Assyrriorum: *Quæ est ista fiducia, qua niteris? An confidis in baculo arundineo atque confracto?* IV. Reg. XVIII. Cogita uncinum pomorum quem ostendit prophætæ Deus, et vide ne in terram et sepulcrum detraharis, cum minime existimas.

CONCIO V.

ARS BENE MORIENDI.

I. Memorare novissima tua. — II. Conde testamentum si opus. — III. Muni te sacramentis. — IV. Provide tibi arma etiam offensiva. — V. Adorna lectum tuum virtutum floribus.

THEMA.

Resedit, qui erat mortuus et cœpit loqui.

Luc. VII.

Accidit quandoque, ut tabernam aliquis intret et ibidem bene epuletur ac bibat: demum bene curata cute clanculum se subducat non salutato hospite, nec confectis aut solutis rationibus. Tum si hospes abeuntem offendat, in domum suam retrahit, nec dimittit inde, donec is compositis rationibus solvat id quod debet. Videor mihi subodorari juvenem hunc a Christo suscitatum, non meliori nota ex hac mundi taberna discessisse. Quis enim nescit filios unicos et maxime, qui amisso patre solam matrem habent supersitem, (quemadmodum hic habuerat) indulgentius communiter educari, voluptatibus vacare et sine fræno vivere; nihil vero minus, quam de reddenda ratione et morte cogitare: atque inde fieri ut plerumque imparati vel moriantur, vel saltem morti appropinquent? Videns igitur ac sciens hoc Christus, adolescentem sine præparatione debita ex hoc mundo discedentem retraxit in hunc mundum, retinere cum volens, donec mori disceret, et meliori nota, solutis prius debitis, e vita emigraret. Itaque: *Resedit qui erat mortuus;* resedit, inquam, ad mensam hospitis ut melius perspenderet, quomodo in posterum moretur. Magna sane gratia. Sed ea quam paucis contingit. Plurimi abeunt ex hac vita graviter

obærat, ideo lictoribus tartareis capiendi, et in gehennam incarcerandi permittuntur, justo Dei judicio. Inter centum millia, non fit uni talis gratia. Quis enim quæso ex omnibus iis quos ad cœmeterium nostrum extulimus, revixit aliquando? Remanserunt omnes: nemo iterum mortuus est. Quando igitur tale miraculum nobis promittere non possumus, ad laborandum nobis est, ut nunc ex hac die incipiamus discere artem moriendi, quando non amplius quam semel mori nobis datur. Artem, inquam, omnium artium, et quæ difficulter discitur, ab omnibus tamen sciri debet: quam si solam didicerimus, omnium artium magistri merito appellari possumus. Audiamus.

I. Memorare novissima tua, mortem, judicium, gehennam. Qui enim ignotum sibi et periculosum iter conficere debet, prius intuetur mappam et inspicit civitates, flumina, silvas, montes, qui transeundi sunt, quærit etiam sedulo ex aliis, qualia sint illa loca, quibus divertit in hospitibus, quomodo se in omnibus gerere debeat, ut secure ad locum destinatum perveniat, eaque omnia sibi in tabella adnotat, atque ita prænoſcit ferme iter suum, antequam aggrediatur, sicque audacter et magno animo arripit, quod alioquin mœstum habiturus esset, in continuo metu et periculo futurus. Similiter cum tibi iter, o Christiane, ignotum, obscurum, periculosum et latronibus infestum conficiendum scias, de hac vita nimirum ad alteram, si absque turbatione, perplexitate et horrore id conficere velis, ingredi illud prius consideratione quam pedibus. Cogita tibi necessario transeundum per mortis et judicii viam, plurimis obsessam animarum prædonibus, ad incertum terminum gloriæ, sive gehennæ: cogita diversurum corpus in angustissimo, obscurissimo et teterrimo sepulcri tuguriolo; animam vero in severissimo Dei prætorio: interroga teipsum quo iudice, quibus testibus, a quibus accusatoribus, de rebus interrogandus et accusandus sis, quomodo respondere velis; num talem habeas causam quam defendere ac tueri possis: cogita te jam stare præ foribus illius divini tribunalis et consistorii, jamque expectare donec voceris et ingredi jubearis, teque interim vehementer trepidare, sicuti reisolent e carcere ad judicii examen et torturam abducendi, qui prius secum accurate cogitant, quid respondere velint. Hoc inquam si feceris, erit jam magna ex parte tibi notum iter tuum, et bene tibi circa omnia pericula providebis, imo secure et alacriter id ingredieris. Propterea prudentes viri ut secure hilariter et bene mori possent, soliti sunt ante mortem suam novissima